

autem obedientiam ostendere debent, primo, parendo in omnibus, quæ Dei voluntati non contrariantur. Vultisne ejusmodi filios? Isaacum intuemini, qui lignorum fasciculo loco asini se onerari et ligari super struem ad immolandum passus est a patre. Jacob ejus filius consilio matris acquievit, licet patris indignationem non temere metueret. Hujus filius Joseph missus ad visendos fratres, sibi licet infensus, illico cucurrit. Philippus Rom. principum primus christianæ fidei sectator filium suum ejusdem nominis adeo sui reverentem sensit, ut in imperium se consentiente proventus filius gloriaretur se patrem habere, cui posset obedire non tantum ut filius, sed ut imperator. Quin et horum immediati successoris, Decii scilicet imperatoris filius, cum pater eum regem nominare et diademate insignire vellet, renuit dicens: *Vereor ne si imperator sum deiscam esse filius. Malo non esse imperator, sed humilis filius, quam imperator et filius indevotus*, Petr. Bless. epist. XLVII.

Secundo, cedendo eorum sensui, dato etiam quod filii rem melius intelligant, vel, si forte graviter errarent, modeste admonendo, exemplo Jonathæ, qui videns patrem moliri necem innocenti Davidi, dicebat: *Ne pecces rex in servum tuum David, quia non peccavit tibi, et opera ejus bona sunt tibi valde*, I. Reg. XIX. Exemplo item Philippi paulo ante dicti, qui patrem suum itidem Philippum in ludis publicis petulantibus cachinnantem vultu averso notavit, ac tacite redarguit, ad risus abstinentiam sic fortasse a severa matre Augusta christiana femina moribus informatus, Aurelius Victor, in Philip. apud Baron. anno 249. In dubiis et indifferentibus rebus cedat filius patri, minor majori, juvenis veterano. Sic ignis, seu lampas accensa noctu quidem splendet, interdum non splendet; quia soli cedit tamquam majori lumini. Docuit hoc Christus, quando Jerosolymis deseruit domum patris sui, et descendit cum illis in Nazareth, Luc. II.

Tertio, in rebus gravibus eos consulendo, ut cum ducenda est uxor, quam sibi eligere de parentibus male meritam pravi est filii, ut fecit Esau, Genes. XXVI. qui duxit contra voluntatem parentum uxores alienigenas duas, quæ ambæ offenderant ejus parentes. Unde postea quando Jacob fratri ejus quærenda erat uxor, dixit mater ejus Rebecca: *Si acceperit Jacob uxorem de stirpe hujus terræ, nolo vivere*, Gen. XVII. Raro felicia sunt conjugia quæ coierunt clanculum et sine parentum arbitrio, quia tunc plerumque juvenes respiciunt vel voluptatem, vel pulchritudinem, vel sequuntur inordinatum amorem suum; quo nomine Deo displicent, sicut illi qui paulo ante

diluvium acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant, id est, præcellentes pulchritudine. Parentes autem ad mores obtutum dirigunt, atque ita longe melius discernunt, quænam magis conveniant filiis.

III. Est obsequium, quo liberi parentibus inservire et necessitates eorum sublevare debent ex lege ipsius naturæ. Nam ut docet S. Thom. opusc. VII. filii a parentibus accipiunt vitam, sicut milites accipiunt a rege feudum, ut si ei sint fideles, ejus conservationem; si infideles, ejus privationem mereantur. Accedit Ecclesiasticus, c. III. *Qui timet Dominum, inquit, honorat parentes et quasi dominis serviet his qui se genuerunt*. Servire autem debent, primo, suppeditando victum infirmis et egentibus. Si enim a parentibus ipsi enutriti et educati sunt, cum essent adhuc ætate tenera et imbecilla: ecce eandem vicem parentibus suis repuerascentibus non rependant? Annon apostolus, I. Tim. V. jubet mutuam vicem rependere parentibus? Annon solo naturæ instinctu faciunt hoc bruta? Meropem avem statim ac volare potest, parentibus inservire scribit Pierius, l. XVII. hier. Vultisne exempla hominum? Celebratur apud Plin. l. VII. c. XXXVIII. filia quæ matrem carceri mancipatam diu sustentavit suis uberibus, qui locus postea deæ pietati consecratus est: et illa altera, quæ similiter Cimonem patrem, apud Valer. Max. l. V. necnon Cornelius, qui patrem luminibus orbatum scipionis instar regebat; unde Scipionis cognomentum sibi et toti familiæ suæ acquisivit, Chav. de prud. l. c. X. item filius auri fabri Toletani, qui patre obfalsas suspensiones a Petro I. rege Castulonis ad mortem damnato precibus et lacrymis conscio impetravit, ut pro parte occideretur, apud Fulgos. l. V. c. IV. necnon cardinalis Grimanus, qui pro patre Antonio, carceri se obtulit, apud Egnatium, l. V. c. IV. item Quinti Ciceronis (Marci fratris) filius, qui patrem ad necem quæsitum occuluit; et cum ipse in quæstionem duceretur, et omnibus tormentis interrogaretur, prodere noluit, Dio. lib. XLVII. rursum quædam filia, quæ Calvinistis in Gallia grassantibus, et ingentem stragem edentibus per media cadavera irruit, et patrem quæsitum ivit, inventumque adhuc spirantem humeris extulit et curavit, uti ejus tragædiæ scriptores litteris prodiderunt.

Secundo, non cogendo, ut sibi bona sua cedant, nec mortem eorum optando, instar vulturis qui moribundæ pecudi adest et cadaver expectat; vel corvi, qui parentes seniculos expellit de sua statione. Si enim parentes tam dolenter ferunt mortem filiorum præmaturam, cur non item filii mortem parentum: sane perquam raro for-

tunant filii, qui parentes compellunt tradere sibi bona sua, justo Dei judicio. Narrat Belleforentius in Clotario, Chramnum Clotarii Francorum regis filium patri rebellasse (eo quod nolebat eum pater ante tempus regem creare Aquitaniæ) et varia contra eum bella gessisse. Tandem vero in Britanniam profectus pater cum suis copiis, imploravit supplex divinam opem contra incorrigibilem natum; inito autem certamine, non illum fudit fugavitque solum, sed etiam comprehendit, totusque ira percitus inclusit cum uxore et filiabus in rusticano tuguriolo, scannoque alligatum igne undique circumposito incendit et consumpsit. Similem fere exitum habuit Absalon, simile ob peccatum. Aliter se gessit Hermes Anathoclei regis filius cum patre in extremis agente postulare ad regnum, renuit donec quoquam spiritus patri superesset, Pet. Bles. ep. XLVII.

Tertio, horum defectus et senectutem æquo animo ferendo, juxta id Eccl. III. *Fili suscipe senectam patris tui, et non contristes eum in vita illius et si defecerit sensu, veniam da*. Senes bis pueri sunt. Tolera ergo bis puerum, qui te toleravit semel puerum. Docent hoc ciconiæ, teste S. Ambros. V. he exam. c. XVI. quæ parentes, cum senuerint et penarum defludio laborant, suis penis confovent, et alis utrinque advolantes ad volandum juvant et sustentant. Inde a ciconiis natum illud proverbium, mutuam officii et præsertim nutritionis vicem reddere parentibus. Longe vero ab hac pietate distabat filius ille, qui ut refert S. Bonavent. I. de decem præceptis, ser. V. de quarto. præcepto, quotidie splendide cum uxore sua epulabatur, pauperulum interim patrem fabis victitare sinebat. Hic pater cum die quadam filii domum adiisset, tempore, quo ille mensæ accumbat, et caponem sibi paratum habebat, ubi advertit filius patrem adventare, caponem armario includi fecit, solitum tantum cibum patri præbens. Patre itaque abeunte, caponem educere dum vult, in bufonem ingentem conversum videt, quem in faciem, et oculos insipientem avellere nulla ratione potuit, donec ejus veneno infectus expiraret tandem. Quamquam ut scribit Cantiprat. l. II. ap. c. VII. prius aliquot annos vixit et ex præcepto episcopi diocesanii per Normanniam et Galliam circumivit, ut suo exemplo omnes filios admoneret.

Atque hæc tria sunt, quæ docet D. Thomas, in opusc. deberi parentibus a filiis: quia enim parentes præbent filiis esse et vitam, merentur recipere ab illis honorem et reverentiam: quia dant disciplinam et institutionem, merentur recipere obedientiam: quia dant victum et amictum, merentur in egestate et senio præsertim recipere

sustentationem. Hæc si parentibus tuis, fili, muñera imposueris, audies a Domino: *Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui*. Amen.

CONCIO VI.

USURA DAMNATUR.

I. Damnatur a vocabulo suo. — II. A legibus: 1. A divina veteri. 2. A divina nova. 3. A ss. canonibus. 4. A legibus civilibus. — III. A ratione.

THEMA.

Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Matth. XXV.

Nulli hominum generi, meo quidem judicio, adeo viam cæli obstruit Christus in evangelio, atque avaris et raptoribus. Hinc enim ut alia taceam, terribilis illa sententia, Matth. XIX. *Facilius est camelum intrare per foramen acus, quam divitem intrare in regnum cælorum*. Sed videbitur forte alicui in hodierno evangelio aperire illis portam et latam quidem in regnum cælorum. Laudat enim eos, qui traditis sibi talentis multa alia sunt lucrati. Quis autem plus lucratur quam usurarii et raptores? Deinde, post finem hujus evangelii servo illi pigro, qui nihil fuit lucratus, ait Dominus ejus: *Oportuit te committere pecuniam meam nummulariis, et veniens ego recepissem utique quod meum est cum usura*. Ergo dicet aliquis: Jubet Dominus usuras facere, easque a nobis exigit. Ergo iniquitas apud Deum? Absit. Si enim de Jove dixit Mosonius: *Jupiter non fenerator, multo minus fenerator*, id est, non accipit ad usuram, multo minus dat: quanto magis hoc de Deo vero dicendum? Quare alia longe usura est, quam a nobis Deus exigit, alia talenta, merita salutis, opera virtutum. Quare obstruamus huic crimini denuo januam regni Dei.

I. Damnatur primo, ab ipso suo vocabulo, Hebræo, Græco, Latino adeoque ab omni hominum genere, quia hæc sunt linguarum fontes. Vocatur enim Hebraice nesech, i. e. morsus, quoniam instar canis mordet et rodit ossa pauperum. Sic habetur Exod. XXII. *Non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*. (Hebraice: *non eris ei ut exactor, vel fenerator, et non ponas super eum morsum*.) Quia vero nemo haberi volebit canis famelicus aut rabiosus, qui se aliorum moribus pascat, idecirco ad probri effugium ad usuram vocarunt Hebræi tabith, id est, incrementum. Sed ut occurrat Deus huic fraudi, utrumque nomen ibi conjungit et damnat. Unde Rabbi Salomon dixit: Incrementum usuræ vocatur ne-

sech, quasi nachas, id est, serpens quia se habet instar morsus serpentis, qui mordet vulnus parvum in pede alicujus ita ut non sentiat; mox autem serpit et diffundit se venenum, donec perveniat ad verticem ejus: sic quoque incrementum usurae se habet. Non enim sentitur neque cognoscitur, donec ita augeatur quod totam substantiam alicujus exhauriat. Consonat huic S. Chrysostomus, in c. V. Matth. « Pecunia, inquit, usurarii similis est morsui aspidis. Percussus enim ab aspide, quasi delectatus vadit in somnum, et per suavitatem soporis moritur, quia tunc venenum per omnia membra latenter decurrit; sic qui pecuniam sub usura accipit, eo tempore quasi beneficium sentit, sed usura per omnes ejus facultates decurrit et totum convertit in debitum, id est, hominem devorat. » Itaque juxta sententiam Job. c. XX. *Caput aspidum suget*, quisquis ad usuram accipiet, sed multo magis, qui dabit. Hic enim perdet animam suam, ille opes tantum. Recte et a Chaldaeis usura vocatur chabulia, id est, perditio, quia perdit opes. Graece vocatur foetus seu partus, seu quia partus est pecuniae mutuo datae, spurius tamen et adulterinus, seu quia ipsa semper et continuo parit. Unde recte eam lepore compares, nam, ut ait Plutarchus: Lepus simul parit, et aliud alit, rursus superfat. Ita foeneratoris aēs et usuram parit, et haec sublata rursusque ad usuram data, rursus parere ipsis debet. Cujusmodi usura usurarum speciatim est prohibita ab imperatore Justiniano, c. de usuris, l. fin. Ambrosius, l. de Tobia, cap. XII. ait: *Græci appellaverunt usuram, eo quod dolores partus animæ debitoris excitare videantur*. Quare ibi revera dolores ut parturientis sunt, ubi usurae solvenda.

Latine vocatur foenus et usura: foenus quasi funus. Audi Ambr. l. cit. c. X. *Nihil interest, inquit, inter funus et foenus, nihil inter mortem distat et fortem*: ergo tam usuram dans, quam accipiens funus est et ad sepulcrum offertur; sed ille ad sepulcrum gehennæ, hic ad sepulcrum inopiæ tantum. Usura dicitur, quod ipso suo usu omnia consumat.

II. Damnatur a legibus, primo, a lege divina veteri, Exod. c. XXII. *Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgebis eum quasi exactor, nec usuris opprimes*: et Deut. XXIII. *Non foenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges nec quamlibet aliam rem, sed alieno, id est, alienigenæ*. Dices ergo: Pauperibus tantum et fratribus prohibetur dari ad usuram? Respondeo, aliis locis Scripturæ universim prohiberi, ut Ezech. XVIII. Prov. XXVIII. Psal. XIV. et LIV. Paulatim ergo perfectior facta est hæc lex, sicut in matrimonio, sacrificio, confes-

sione. Unde S. Hieron. in c. XVIII. Ezech. ait: *Vide profectum. In principio legis a fratribus tantum foenus tollitur: in prophetis ab omnibus usura prohibetur*. Deinde, respondetur Judæis permisum fuisse usuram erga extraneos tamquam minus malum, ut arcerentur a majori, foenerandi fratribus. Nec male S. Ambrosius, l. de Tobia, cap. XV. per alienos intelligit hostes Judæorum (quales erant fere omnes gentes, maxime vicinæ) illos autem poterant ex Dei concessione spoliare et occidere, ergo et usuris premere. Ubi enim est jus belli, ibi est jus usurae, præsertim cum hoc idem jus usurpaturæ essent gentes in Judæos. Pari jure Christiani possent accipere usuras a Turcis, ad recuperanda bona, quæ Christianis abstulerunt.

Secundo, a lege divina nova Lucæ VI. *Mutuam date, nihil inde sperantes*, inquit Dominus, *et erit merces vestra multa, et eritis filii Altissimi, quia ipse benignus est super ingratos et malos*. Ubi nota primo, primam ejus sententiæ partem, quæ suadet dare mutuam, pertinere ad consilium: alteram, quæ jubet nihil inde sperare, pertinere ad præceptum, ut scilicet nihil amplius exigatur, quam quod mutuatum est (hoc enim repetere non vetat ibi Christus, quia alias non mutuam, sed donatum foret.) Secundo, usuram mutui, ex præcepto Domini, temporalem non esse quinque pro centum, nec tria, nec unum, sed: *Nihil, nihil inde sperantes*, inquit. Unde non solum pecunia, sed quidquid pretio aestimabile est, prohibetur accipi pro usura, et proinde omnis etiam obligatio præstandi aliquid, quod aliquo pretio aestimabile non est, v. g. honorem vel laudem, et commendationem apud alios impertiendi, quia obligatio et onus illud pretio aestimabile est. Usuram ergo spiritualem tantum Dominus concedit, mercedem in cælo et dignitatem filii Altissimi (qui et ipse dat omnia gratis) quia quid pretiosius dari aut obtineri potest? Tertio, quod ait nihil inde sperandum, intellige ex justitia debitum. Nam si speres vel etiam roges mutuatarium, et memor præstiti beneficii, ex spontanea gratitudine rependere munus velit, vel etiam ejusmodi gratuitum donum accipias, non eris usurarius, ut docet S. Thom. II. II. q. LXXVIII. art. 1.

Tertio, a ss. canonibus, et quidem pluribus in locis, additis etiam his censuris: primo, excommunicantur, extrav. de usuris, l. VI. c. usurarum. Secundo, excluduntur a sepultura sacra, c. Quia in omnibus, eodem titulo.

Tertio, non debent nec possunt absolvi, nisi facta restitutione, vel præstita cautione, c. Quamquam, eod. tit.

Quarto, non debet recipi eorum oblatio, juxta id Eccl. XIX. *Qui offert de rapina pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris*. Quinto, testamentum et quævis alia voluntas usurarii manifesti ipso jure irrita est, nisi ante mortem restituerit, c. Quamquam de usuris, in VI.

Quarto, a legibus civilis nationum pene omnium. Tametsi vero leges civiles nonnihil hac in re connivent, non inde tamen sequitur, licitas esse usuras, quæ vulgo tolerantur. Multa tolerantur propter majus evitandum malum, quæ tamen non approbantur, uti libellus repudii veteri in lege. Ah hæc Cæsareæ leges si quæ usuras statuunt, correctæ sunt a jure canonico, Clem. unic. de usuris. Præter Cæsareas leges christianorum impp. usuram inhibentes Agis Spartanorum rex adeo foenus exosum habuit, ut omnium foeneratorum tabulas igne supposito in foro concremarit: suo igne nullum se luculentiorum vidisse unquam asseruit, Alex. ab Alex. l. I. c. VII. Laudati sunt Lucullus, quod Asiam, Cato quod Siciliam foenore liberasset, Lycurgus quod Spartam. Indis et Germanis foenus omne ignotum fuisse olim scribit Alexand. ab Alex. loco cit. Romani lege duodecim tabularum caverunt, ne quis plus unciario foenore foeneret: mox tribunitia rogatione, ad semiunciam foenus est redactum, tum ad semissem, postea ad trientem. Demum a L. Gemutio tribuno plebis omnino sublatum est: paulatim iterum succrescens a Cæsare sucisum, et deinceps ab aliis eorum successoribus. Signum ergo manifestum est pessimam feram esse usuram, quæ a tot nationibus tot baculis impetita, et expulsa est: fera inquam illa, de qua dicitur Ps. XIII. *Devorant plebem meam sicut escam panis*: sunt enim usurarii in civitatibus, quod Lucii piscis in piscinis, qui devorant pisces alios.

III. Damnatur ab ipsa ratione et lumine naturali. Justitia enim non admittit ut idem his solvatur, seu plus reddatur quam acceptum est, at vero per usuram, plus exigitur, quam datum est, ergo iniqua est. Declaratur et confirmatur, quia in rebus, quarum usus est ipsarum rerum consumptio, non potest seorsum computari usus a re ipsa: sed ex eo quod conceditur res, conceditur ejus usus. Unde vendere vinum, et seorsum vendere ejus usum idem esset bis vendere aut vendere quod non est. Pecunia autem ejusmodi res est sterilis inquam et infructifera, cujus usus est ipsa ejus consumptio: ergo pro pecuniae usu nihil jure exigere potest. Alia ratio est rerum fructiferarum, uti domus, equi, vaccæ, agri, etc. ex quibus permanentibus usus et commoditas vel fructus percipi ac separari potest, uti ex domo

hospitium, ex agro frumentum, ex vacca lac, caesus, vitulus.

Advertendum vero hic primo, aliam esse usuram lucratoriam, id est, quæ merum lucrum continet, aliam compensatoriam, per quam damnum emergens, vel lucrum cessans mutuatori compensatur. Illa prohibetur, non hæc; nam ratione damni emergentis, etiam cum probabile periculum est damni emersuri, ut cum jure timeatur de restitutione, vel lucri cessantis exigi et accipi potest, quanti lucrum id vel damnum aestimatur.

Secundo, aliud esse census et aliud mutuum, nam in mutuo datur pecunia ad certum tempus, quo elapso potest repeti; sed in censu datur in æternum, quantum est ex parte dantis (licet in pactum deduci possit, ut dans eam aliquando repetat, et accipiens pro libito suo refundat) et ita censualista censetur sua pecunia emere sibi pensionem annuam ex fructibus certæ rei vel personæ. Deinde, si pereat res vel fructus ejus, super quibus constitutus est census, pereunt emptori ex communi sententia: quod non fit in mutuo.

Hinc igitur usura apud prudentes viros nihilo melior habita, quam furtum aut homicidium. Uti Gregor. Nyssen. apud Dion. Carthus. in Luc. VI. « Malignam foeneratorum excogitationem, inquit, si quis appellet furtum et homicidium, non peccabit. Nam quid refert suffosso pariete quemquam erepta possidere, ac foenorum necessitate possidere illicita, » S. Ambr. l. de Tob. c. XIV. Usuram petere suffocare est. Et Cato senex gentilis apud Cicer. l. III. offic. rogatus, quid esset foenerari, respondit: *Quid est hominem occidere?* Nec mirum, quia foeneratores inopum sanguinem hauriunt. Quinetiam M. Catone teste, l. de re rustica, c. I. olim apud Rom. fures condemnabantur in duplum, foeneratores vero in quadruplum restituendum. Nec injuria. Fures enim privati non furantur continuo, sed quibusdam tantum temporibus et noctu fere, idque cum timore, et fere ex necessitate faciunt, interim ob id pudore suffusi incedunt. Verum publici illi usurarum fures diu noctuque rapiunt, idque sine pudore, gestantque aureos torques (juxta id Catonis: *Privati fures in nervo, et compedibus vitam agunt, publici in auro et purpura visuntur*, Gel. XI. c. XXVIII.) et quandoque fures alios parvulos suspendunt. Unde Demochares furem ab undecim viris abduci videns: *Vah miser, inquit, cur tantula furatus es et non potius magna, ut tute etiam abduxisses alios?* Stob. serm. XI. Et quid ergo mirum, si hoc tam iniquum et commune malum Deus variis cladibus puniat? Modo bello, modo

annona, modo peste? Quia enim ferrea nunc sunt Christianorum pectora, ideo fit nobis cælum et terra ferrea, juxta id Dei minantis, Lev. XXVI. *Dabo vobis cælum desuper sicut ferrum et terram æneam.* Et quid mirum, si terra ex se fertilis negat nobis fructum, qui cogimus ea nobis fructificare, quæ ex se sunt sterilia, scilicet pecuniam? *Sed ais, inquit S. Basilius, apud Dion. Carthus loco cit. qualiter ergo victum acquiram, videlicet si a feneratori non debeo mutuam accipere, certe labora, servi, mendica, unumquodque tolerabilius est pauperis mutuo.*

Denique, qui utilissime cupit fœnerari, fœneretur Deo miserendo pauperis, Prov. XIX. juxta sententiam S. Bernardini Sennensis, dicentis, fœnus ita demum sine peccato exerceri posse, si pecunia iis crederetur, qui nec capitalem summam reddere possent. *Æn. Sylv. de dictis Sigismundi et Friderici imperatoris: sic omnium fructuosissime negotiabitur cum talentis nobis a Deo creditis, si scilicet ea demum ad mensam esurientium. Isti sunt nummularii, quibus si committas pecuniam tuam, lucraberis regnum cœlorum. Ita negotiatus fuit S. Nicolaus, tribus auri massis tres lucrando puellas, ut a turpe quæstu præservatæ honesto collocarentur matrimonio. Et quis ambigat quantam sibi hoc facto meruerit coronam coram Domino Deo? Hujus igitur exemplo et hujus adjuti precibus ita nostras opes, et facultates collocemus, ut justis titulis quæramus victum nostrum, et ne ob pecuniam perdamus vitam æternam.*

CONCIO VII.

DOCUMENTA EVANGELII.

I. Monemur Christo gratias agere: 1. Quia tradidit nobis bona sua. 2. Quia ad negotiationem utilissimam nos vocavit. — II. Non extolli de nostris talentis: 1. Quia ex Dei liberalitate veniunt. 2. Quia de iis ratio reddenda. — III. Non invidere aliis plura talenta. — IV. Sedulo negotiari. — V. Sperare coronam justitiæ. — VI. Timere Deum judicem.

THEMA.

Vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.
Matth. XXV.

Solent hodie communiter pueri et puellæ surgere diluculo et magna aviditate involare in munuscula, ut vocant S. Nicolai, eaque sedulo rimari, ostentare et servare. Quid vero nos, auditores? Numquid non omnes filii et filiæ Christi sumus? Numquid igitur hoc die optimus et ditissimus Pater noster munere nos destituet? Mi-

nime vero: si enim nostis vos parentes bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester cœlestis (Christus) dabit vobis Spiritum bonum; sed quorsum oculos convertemus, ut munuscula reperiamus? Intueamur evangelium et videbimus in parabola, a Christo nobis tradita, non unum sed plura munuscula eaque saluberrima.

I. Reperimus armillas aureas, hoc est, merita Christi quibus manus nostras ornare, seu opera nostra inaurare, et Deo grata ac meritoria facere possumus. At inde monemur gratias agere Christo: primo, quia tradidit nobis bona sua, quæ comparavit nobis morte et passione sua. Sunt autem merita ipsius sacramenta, doctrina, exempla, merita denique nostra, quæ ex ipsius meritis valorem vitæ æternæ obtinent. Opera nostra ex se nihil possunt ad vitam æternam promerendam. Christus ea in tantum extulit, ut si in gratia fiant, mereantur vitam illam, itaque in quantum meritoria sunt vitæ æternæ, dona et talenta Christi sunt. Quomodo ergo Isaac, Gen. XXIV. misit Rebecca sponsæ suæ inures et armillas, quibus ita se adornavit, ut placeret sponso suo: ita misit et dedit Christus Ecclesiæ suæ verba divina et merita vitæ æternæ; et sicut Rebecca caruisset ornamentis illis, nisi ea transmisisset Isaac, ita et Ecclesia caruisset verbo Dei inauribus et merito in manibus nisi per Christum ea obtinuisset. Opera nostra ex se cuprea tantum erant, per merita et gratiam Christi aurea facta sunt. « Ut annulus cupreus, inquit Hector Pintus, in Ezech. XXXVII. pretiosissimo adamante cynatus summi valoris est, non ob cuprum, sed ob gemmam inestimabilem cupro ipsi inclusam: sic bona opera nostra in gratia, vitam æternam merentur, non quod nostra sint, quia sicut cuprum sunt parvi pretii, sed quia fiunt in gratia, et insignita sunt tamquam inestimabili adamante, merito mortis et passionis Christi, cui per gratiam adheremus. » Vultisne illam declarationem? Sit rex opulentissimus, qui ex mera gratia, desponsat sibi puellam pauperem, (quemadmodum Assuerus desponsavit sibi pauperem Esther, utroque parente orbatam, ex captivorum numero, Esth. II.) et gignat ex ea liberos. Hi sane filii regis erunt et de jure regni hæredes, quod tamen non a matre, sed a patre obtinent. Anima nostra pauperrima est, quæ ex se non nisi pauperula opera gignere potest, desponsata tamen Christo per fidem, et fecundata per ipsius gratiam gignit opera meritoria vitæ æternæ, quasi filios cœli hæredes. Et hæc est illa hæreditas Christi ad nos delata per ipsius mortem: de qua agricolæ illi seu vitatores, cum vidissent venientem domini sui filium, dicebant, in parabola de

vineæ, Matth. XXI. *Hic est hæres, venite occidamus eum et habebimus hæreditatem ejus.* Verissime enim obtinuimus hæreditatem Christi per mortem ejus, tametsi Judæi hæreditatem illam minime quæserunt. Hinc ergo intelligimus quantum obligemur Christo, a quo accepimus talenta, quibus regnum cœlorum mercari seu lucrari possumus. Taceant igitur hæretici nihil nobis a Christo collatum esse, si adhuc bona opera a nobis requirantur. Quomodo enim non sat superque nobis datum est, quando datum est nobis aurum, quo comparare cælum possumus? Et quomodo vita æterna non est donum Christi quam ipsius pecunia nobis emimus? Hoc est, quod Isaias dixit, c. LV. *Venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac, i. e. delicias vitæ æternæ.* Quomodo emuntur absque argento? Resp. S. Ambros. I. de Joseph. patr. VII. emi argento non nostro, sed Christi scilicet pretio sanguinis ejus, et vitam æternam partim ex dono accipimus, partim ex justitia obtinemus.

Secundo, quia ad hanc negotiationem omnium lucrosissimam specialiter nos vocavit et elegit ab ipso nostro baptismo, in quo posuit nos ut eamus et fructum afferamus (Joan. XV.) quod multis regibus et populis non contigit, qui scilicet ad Ecclesiam Christi vel vocati non sunt, vel tenuiter tantum et quasi per echonem a longe et inefficaciter. Hæc est vera illa sapientia (ars inquam lucrandi cælum omnium quæstuosissima) de qua Jcb. XXVIII. ait: *Perditio et mors dixerunt: Auribus nostris audivimus famam ejus.* Etenim Judæi, gentiles, Turcæ, hæretici, quasi per famam tantum audiunt christianismum et Ecclesiam Christi.

II. Reperimus securim, quæ scindit quidem et secat, sed non nisi elevata a secante. Et inde monemur non extolli de nostris talentis; primo, quia ea non ex nobis, sed ex Dei dono et liberalitate habemus sive ea naturalia sint sive supernaturalia. Quod si vero nostra industria naturalia bona auximus et perfecimus, Dei benedictioni hoc debemus: supernaturalia vero, uti merita et virtutes, si auximus et perfecimus, Christi gratiæ debemus, quæ ad bene operandum nos excitat, operantes comitatur et adjuvat. Unde Isai. c. X. ait: *Numquid gloriabitur securis contra eum, qui secat in ea? Securis quidem scindit, sed non nisi per manum hominis elevata: ita homo quidem agit et meretur libero suo arbitrio, sed non nisi elevatus per Dei gratiam, cui proinde potius, quam homini opus adscribendum: sicut sectio artificii potius, quam securi. Hinc rursus Isaias, cap. XXVI. dixit: Domine omnia opera nostra ope-*

ratus es nobis (Chald. vertit: *Operatus es nobiscum.*) Quomodo sunt opera nostra, si Deus ea nobis operatur? Nostra sunt quia cooperante nostro libero arbitrio fiunt: Dei opera sunt, quia gratia Dei excitante et cooperante fiunt, quemadmodum apost. I. Cor. XV. exposuit cum ait: *Non ego, sed gratia Dei mecum,* (scilicet laboravit). Laboravit ergo apostolus, et cum eo gratia Dei, sed huic quodammodo primas et digniores partes tribuit, nec immerito, quia gratia nos excitat ad operandum et adjuvat operantes; nos tantum cooperamur libere. « Ut cum navis, inquit Hector Pintus, in Isai. c. XXVI. expanso velo, prospero vento agitur, parum videtur agere naucleas, licet aliquid agat, quoniam ipsum velum flatibus expansum tenet, quod si contraxerit, non agitur navis: sic homo, qui agitur spiritu et gratia Dei, quamvis parum agere existimetur, agit tamen, quoniam pandit divinæ gratiæ arbitrii libertatem, et Spiritus sancti flatui velum bonæ voluntatis extendit. Ut ergo demum etiam navarchus, cum salvus appellit onusta mercibus nave, non sibi, nec navi, sed Deo ductori gratias agit, et salutem suam adscribit, ita faciendum nobis. Accepimus a Deo gratiam excitantem, gratiam cooperantem insuper valorem supernaturalem operum nostrorum. Unde ergo extolli possumus? *Quid habes, quod non accepisti?* ait apost. I. Cor. IV. *Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod enim opus sit supernaturale et meritorium, hoc Dei gratiæ debet: quod vero sit liberum, hoc a libero arbitrio habet illique tribuere debet. Verum de hac sua libera cooperatione, non magis homo gloriari potest, quam pauper, cui offeruntur centum aurei, gloriari potest se accepisse, vel navarchus, quod velum vento expanderit. Quare in simili parabola apud Luc. c. XIX. dicunt negotiatores: *Domine mna tua fecit decem mnas,* ubi lucrum tribuitur gratiæ, sicut in hac parabola tribuitur libero arbitrio. Utrique enim tribuendum, sed gratiæ magis.

Secundo, quia quanta quisque accepit, tanta et refundere Deoque de iis rationem reddere debet. Audi S. Gregorium super hodiernum evang. hom. IX. « Dum augentur dona, inquit, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo esse humilior atque ad serviendum promptior quisque debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. » Propterea inducit Dominus servos tantum lucri refundentes, quantum acceperant talentorum, quasi repetens id quod Luc. XII. dixerat: *Cui multum datum est, multum quæretur ab eo.*

III. Reperimus libram seu bilancem, in qua sua cuique talenta ponderavit Dominus: et inde